Scan. D Lin. 7
Plat. 9 I. 14

Le docteur Ste Marie a l'honneur d'offrir
cet exemplaire, de la part de l'auteur,
à monsieur Medici, savant professeur de
Physiologie dans l'université de Bologne.

Lyon, 2 Juillet 1820.

GAUTHIER-BELLEFONDS

Duplicato mancante dell'elogio
Storico del med. Gilbert

F. XIII. p

55151

17.

DISSERTATIO MEDICA

DE

APOPLEXIA SANGUINEA ET DE PITUITOSA,

QUAM, Deo (ſupremo Medico) duce, in Auguſtiſſimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi, publicis ſubjiciebat diſputationibus,

AUCTOR,

JOANNES-PETRUS GATERAU, Montalbanenſis apud Aquitanos, Liberalium Artium Magiſter, & in Almâ Medicorum Monſpelienſium Univerſitate jamdudùm Alumnus, die menſis Januarii, anno 1786.

PRO PRIMA APOLLINARI LAUREA.

Heu mihi! quanta & quam univerſalis & quam momentanea ſit Apoplexia! *WEPFER, obſerv. apoplect.* 19. *p.* 478.

MONSPELII,
Apud JOANNEM MARTEL, NATU MAJOREM, Regis, Occitaniæ Comitiorum, Univerſitatiſque Typographum Conſuetum.

M. DCC. LXXXVI.

PATRI MEO

NEC-NON

DILECTISSIMO AMICO,

D. L. G*******. P. D.

QUÆ à teneris annis in me contuliſti beneficia, PATRUM DILECTISSIME, ea me partìm aſſequi poſſe ſum arbitratus, tibi ſtudiorum, in Arte ſaluberrimâ, primitias decernendo; primos, tuis ſub auſpiciis, in Æſculapii Templum tuli greſſus; Artis Hyppocraticæ *aperuiſti viam; & natum, quæ* BOTANICAM, PHARMACIAM *&* CHYMIAM *ſpectant, edocuiſti: felix! ſi Paternis conſiliis mihi favere pergas; ſi, tanquam amoris, gratitudinis, & obſequii pignus exiguum iſtud habeas Opuſculum.*

AMICE CLARISSIME, inſufficiens calamum comitatur eloquentia, ſi tua ergà me perpendam; virtutis tramites, documentis, exemploque tuo præprimis ingreſſus, & dilecti admiſſus titulo; in tuo, quotiès-ne cor meum effundere, licuiſti? Probè memini, libenter recordor, me numquàm præceptis aurem præbuiſſe quin ſapientior & doctior evaſerim: ut verò gratum animum publicè teſter, idce tenue Medicum tentamen tibi devolutum ſit; benigno vultu excipias, quæſo, quod amori & amicitiæ, Patri & Amico in æternum colendiſſimis,

Dicat, vovet & conſecrat,

J. P. GATERAU.

Dabam Monſpelii die menſis Januarii 1786.

Le temps qui détruit tout, ne détruira jamais
L'immortel ſouvenir de vos rares bienfaits!

DISSERTATIO MEDICA

DE

APOPLEXIA SANGUINEA

ET DE PITUITOSA.

GRAVIS, peracutus ſæpiſſimèque lethalis morbus, rarò in Noſocomiis *Apoplexia* reperitur : à ſemetipſo pauca, circà illam., medicinæ tyrocinium valet obſervata referre : ſi quid ergò pretioſi, VIRI PATRES ACADEMICI, in iſto levi tentamine, veſtris ex aureis prælectionibus depromptum invenietis ; ſi verò contrà, *phyliatro* indulgeatis, quoniam dicta malè perceperit, & inconſultè forſan declinaverit ab eis.

A græcis ἀποπλήττειν id eſt, *percutere*, *attonitum reddi*, nomen habet *Apoplexia* : cùm enim, antiquitas, animalia ſacrificanda ſecuri in fronte tàm validè percuterentur, ut derepentè conciderent, hæc ἀποπλήξια, homines autem eodem modo concidentes ἀποπλήκτους ipſumque morbum ἀποπλῆξιαν nuncupavit : undè *percuſſi*, *ſiderati*, *attoniti* dicuntur illâ laborantes. Aſt autem ethimologiam qui ſolummodo ſcrutaretur, *ſideratos* crederet, qui, ſubitâ ſenſuum & motuum privatione, quaſi valido ictu proſtrati, corruunt ; quæ fatua ſolutio, cunctis ſoporoſis affectibus nec-non ſyncopticis adeſſet congrua ; exanimes eos prætereà recenſeret haud ſecùs ac fulmine percuſſi ; indagantes igitur quæ *Apoplexiam* ſpectant, cùm ille morbus ingenti commu-

nium ſymptomatum numero ſtipetur; operæ pretium inter ea ſeligere quæ nunquam ab eo ſeparantur; hæc quidem à pathologis *pathognomonica*, ſivè morbi *eſſentialia*, *caracteriſtica* nominantur.

Malè *Galenus*, detentionem mentis cum abolitione ſenſuum & corporis reſolutione, definit *Apoplexiam*; nam licèt aboleantur ſenſus, corporiſque vires frangantur; non tamen vitalis deſtruitur actio: *attonitos*, notante *Celſo*, rarò videmus, quorum & corpus & mens ſtupeat: pollet igitur Celeberrimi *Boërrhavii* ſynthema, qui clinicus *Apoplexiam* dicit adeſſe *quando repentè* (1) *actio ſenſuum, omneſque motus voluntarii abolentur, ſuperſtite pulſu plerumque forti, reſpiratione difficili, magnâ, ſtertente; unà cum imagine profundi perpetuique ſomni* (2): hiſce poſitis ſymptomatibus certa luceſcit *diagnoſis*.

1°. Defectu ſensûs: à caro, leipothymiâ, ſyncope, aſphixiâ, ebrietate, &c. &c. diſcrepat.

2°. Defectu motûs: ab epilepſiâ, &c.

3°. Statu pulsûs: à lethargo, ſyncope, &c.

4°. Stertoris cauſsâ: ab omnibus ſive leipopſichiis ſive quietalibus morbis.

5°. Laxitate membrorum: à cathoco, catalepſi, ecſtaſi, &c.

6°. Tandem ſomno: à comate, typhomaniâ, &c.

Ratione vehementiæ dividitur in fortem & levem; ratione cauſæ, variæ annumerantur ſcilicet traumatica, idiopathica, ſymptomatica, &c. cujus ultimæ ferè tot ſunt ſpecies, quot humores in corpore; ſed tantum pituitoſam ſeu ſeroſam (3) & ſanguineam enucleare; diſcrimen

---

(1) *Obſervat* Maſſarius *med. pract. lib.* 1. *cap.* 13. *quod ad eſſentiam Apoplexiæ conſtituendam non requiritur ut ſubitò & derepentè incidat correptus; nam præcedunt, ait ille, præludia; torpidus quidam ſenſus & motus; veluti quædam vagantes formicæ, quæ in brachiis & aliis partibus ſentiuntur, &c. cæteraque hujuſmodi; adeò ut ſenſim ac ſenſim non ſubitò apoplexia ſuccedat. Iſta* Maſſarii *obſervatio non modò parvi momenti ſed & etiam inutilis mihi videtur; quamvis enim appareant epiphœnomena, ſeu terrentia morbi, adeò parum ſubjectum afficiunt, ut perſæpè vix labefactatus, ſolitis fungatur muneribus: aſt ô pernicioſa ſecuritas! breviter ad inſtar Cœlo tacti tollitur è medio.*

(2) *Aphoriſm. in cognoſcend. & curand. morb.* §. 1008.

(3) *Pituitoſa diſcrepat à ſerosâ quoad materiam morbi occaſionalem; ſed quoniam eadem æmulentur remedia ſeorsìm de illis agere vanum exiſtimavi.*

& earum ſtabilire juvat ; nullum etſi Celeberrimus iſtius ætatis Vir ſanguineamque tantùm exiſtere contenderit.

A ſanguine *ſiderationem* genui denotat plethorica diſpoſitio, rubor faciei, capitis dolor acutus affectum præcedens; aëris conſtitutio frigida, calida-ve deurens & ſicca ; pulſus præternaturam intenſus, frequens, quandòque durus, &c. habitus autem pituitoſus, carebaria, conſuetæ per os & nares excretionis ſuppreſſio pituitoſæ, ſeroſæ, &c. pulſus mollis, parvus, duritie carens ; regio, tempeſtas, frigida & humida ; nec non juxtà *Riverium*, in ipſo morbo *ſi pituita per os & nares affluat, aut in gulam defluens ab ægro frequenter deglutiatur* (1) ab illo humore pendere ſiderationem nemo negabit ; perpenſis præſertim Anatomicorum obſervationibus qui mucum verum in ipſis cerebri ventriculis *Apoplexiæ* cauſam invenerunt (2).

Quidquid nervorum originem premere valet, *ſiderationem* ſymptomaticam geminat : nullus neſcit à cerebro ad partes continuò per nervos attolli fluidum ſensûs & motûs unica ratio : quis enim illius influxum denegaret dùm ab omni ævo, circà præcipuas corporis humani functionum cauſas, à Celeberrimis Medicinæ cultoribus fuit recenſitum (3) ; non ideò varia quæ de ipſis enarrant Auctores immorari, ſparſaque ſophiſmata colligere ; ſed conſideratâ cerebri, nervorum ſtructurâ ; conſideratis phœnomenis ligaturæ nervorum individuis comitibus veram *Apoplexiæ* ſymptomaticæ theoriam, immortalium clinicorum opinione fultus arridèt exponere.

Cerebri ſubſtantiam glanduloſam, *Malpighi* obſervationibus fretum neminem fugit : follicula detexit intactâ membranarum adunatione ; incaſſùm *Ruiſchius* glanduloſis folliculis orbatam contenderet ; eorum connexionem, injectionibus aſſuetis, teruit : licet igitur ab eo vaſculoſa

---

(1) Riverii, *prax Med. cap. de Apoplexiâ.*

(2) Theoph. Bonet, *ſepulchret*, *lib.* 1. *p.* 103. Wepfer, *obſervat. Apop.* 65 & 68 *ubi refertur non unicum medullæ ſpinalis principium à pituitoſis & ſeroſis humoribus repleri ; ſed perſæpè pectoris regionem, ſtomachum, cor, pulmones &c. &c.* Van-Swieten *in* Boërrhav. *comment. circà Apoplexiam*, §. 1010. 4. *longè autem « frequentiùs » adhuc, aït ille Vir, apoplexia contingit à ruptis vaſis ſanguineis » intrà cerebrum. »*

(3) *Spirituum animalium exiſtentiâ ſuâſus fuit divus ſenex & σωματα ωρμοντα, id eſt, corpora excitantia denominavit eos ; videſis de ſpir. anim.* Boërrhavii *phyſiologiam Celeberrimis* de Haller & de Lametrie *adornatam.*

demonſtretur ; nequaquàm adenoïdea compages evaneſcit : illa cerebri duplex conſtitutio , ni fallor , minimè nocet liquidi vitalis ſecretioni , tenebris quamquam involutus ſit illius ſecretionis modus. Nervi prout ab Anatomicis eſt compertum ſunt faſciculi nervorum communi tectorum involucro ; qui faſciculi ex aliis iterum minoribus conſtant , nec hujuſce diviſionis fines hactenùs invenit ſubtiliſſimorum Anatomicorum dexteritas & induſtria : eorum ope ſpiritus ad partes deveniunt, ut ſenſus & motus cieant : undè ſenſibilitatis & irritabilitatis organa recipiuntur nervi : fruſtrà tamen ſperaremus in lucem prodere quæ numen caligata voluit ; nos non latere ſufficiat motum fieri ex eo quòd , vi ſanguinis arterioſi , liquor nerveus per nervos in fibras muſculares pellatur ; ſenſum ex eo fieri quòd objecta , ſuo impetu , nervorum extremitates comprimant & cerebrum versùs , jàm dictum impellant liquorem : quonam modo talia poſſit influxus ille ? Quonam modo fluidum iſtud contractionis ſit unica ratio veruſque fibræ muſcularis ſtimulus ? Quonam modo ſimùl & ſenſui & motui poſſit inſervire ? Semper , heu ! gens ignorabit humana : *Probabiliora ſequimur nec ultrà quàm id quod veriſſimile occurrit progredi poſſumus* (1).

Continua eſt , ut dictis *Arnoldi* utemur (2) ſecretio fluidi nervei in ſubſtantiâ corticali ; continuus eſt ingreſſus illius ex cortice in medullam ; continuus eſt ejuſdem ingreſſus ex medullâ in fibras nervorum medullares ; tales cum ſint affluxus & effectus liquidi , patet, ligato vel compreſſo , quâvis ratione , nervo , transfluxum impediri, deficere ſenſum & motum partis quam irrigat iſte nervus : ſit exempli gratiâ ſequens obſervatio : ligato , ad diaphragmatis ſpatium , nervo phrenico , ſi prematur intrà ligaturam & diaphragma , movetur iſtud ; peractis preſſionibus quibuſdam deſinit motus (propter inopiam fluidi nervei) aſt verò detractâ ligaturâ , ut denuò repleantur tubi , ſi , parvi poſt momenti , religetur nervus , & iteretur mulctio diaphragma versùs , iterum motus omnimodos edet , cùm jam anteà fuerat incapax ; ſic ad libitum DD. *de Haller* & *de Lametrie* vitam concedebant & penè aufferebant animanti cujus oblongata ligabatur medulla ; nervis ibidem cardiacis in animali vivo diſciſſis aut gnaviter ſtrictis, mortem ſecutam fuiſſe ſeriùs vel citiùs , & animal quaſi agone mortis ſtatim laboraſſe teſtantur ; qui fit à corde non ampliùs ſuis cavis expellere ſanguinem valente ; cordis enim actio cum verus ſit muſculus , illa omnia requirit quæ & in aliis muſculis neceſſariò adeſſe debere novimus ; atqui ſpirituum influxum per nervos in muſculum ad ejus actionem requiri certis

(1) Tullii Ciceronis , Tuſcul. II.

(2) Arnold , *de motu fluid. nerv.* §. IX.

conſtat experimentis ; idem ergò & in cor obtinebitur ; compreſſoque nervo cor petenti , languent vires , ceſſat cordis actio (non ſubitò quidem) vita perit ; quod phœnomenum veram *apoplexiæ* theoriam patefacit.

Cur autem in *Apoplexiâ* maneat cordis actio , partium ablato motu ? Si jam animæ eſſentialem vim cogitantem ſtatuit *Carteſius* , non minùs eſſentialis adſcribenda eſſet vis motrix in corde & pectore ; undè facilis eveniret reſponſio ; ſed metaphyſicorum verbis rarò ſatisfit Medicus : falſum eſt quoque cerebellum , ut voluit *Williſius* , eſſe firmius quam cerebrum ; falſum eſt nervos cerebelli vitalibus tantùm motibus non ſenſui , nervoſque cerebri ſenſui unico inſervire ; vera nequaquam theoria , ſcilicet compreſſione in nervorum origine adhibitâ , ſub tutamine , ſi fas ità loqui , reperi à cerebello progredientes : *Pitcarnii* pariter explodere ſolet error ; quod maxima fluidi quantitas devehenda ſit in muſculos antagoniſtis gaudentes , quàm in deſtitutos , & minimam ad cordis actionem requiri , quià ſit antagoniſtis orbus : hæc opinio merè hypothetica ; quoniam auricularum vim ſuperare cor debeat : iſtius duplex phœnomeni ratio , ex nervorum diſtributione prima , ex cordis irritabilitate ſecunda deducitur : par vagum & intercoſtalis nervus cordi vitalem devehunt ſpiritum ; quamquam igitur in encephalo premantur origines nervoſæ compagis , natura periculi præſcia liquidum ex vertebralibus & forſan ex omnibus humanæ machinæ nervis in intercoſtalem attrahit : quid tales ſuppetias indagam ? Num muſculus ope ſtimuli , defuncto quidem ſubjecto , contractatur ? Sopito , cur tali deſtitueretur dote ? Sanguis cordis irritamen ; ſed præcipuè cruor acri parte maximè præditus , ſi phyſiologiæ fides : hinc ratio muſculi vitalis motûs : hinc & etiam frequentis , duri , pleni , &c. ſæpé ſæpiùs in ſanguineis *ſideratis* , contrà lenti , mollis , parvi &c. pulsûs in ſeroſis.

Quibus ità prælibatis ad cauſas hujuſce morbi facilè deveniemus : illas docent cadaverum inſpectio , phyſicæ partes , mechanica ſcilicet & hydraulica : ex primâ multoties conſtitit intrà meninges inveniri modò ſeri , modò ſanguinis effuſionem : ex poſtremis percipitur fluidum aliquod in canali quodam introductum , obſtruto , vel longitudinem depreſſo ductu , proſiliendi facultate deſtitui : intrà vaſa & extra vaſa nervea reperiemus ergò *ſiderationis* cauſas : 1°. Intrà vaſa ſi ſit ſubitaneus defectus fluidi , tuborum-ve nerveorum obturatio : 2°. Extra vaſa ſi ſit plethora , inflammatio medullæ membranarum ; tandem ſi ab humore quodam effuſo ſivè ſanguineo (1) ſivè ſeroſo , (undè noſtræ

(1) *Effuſionem hanc ſanguineam , hemorrhagiam cerebri ſalutavit* Hoffman. *Medic. ration & ſyſtem. tom. 4. part. 2. ſect. 2. c. 7. p. 163.*

ſpecies) ita comprimatur origo nervorum ut præpediatur influxus & refluxus liquidi ab animæ ſede ad partes, & reciprocè à partibus ad ſenſorium.

I°. Ex quadruplici fonte aboritur fluidi penuria.

1°. A *ſtatu pathologico* (1), longâ inædiâ, diarrhæâ, vomitu, morbo chronico, vel acuto vires exſuccante; nimiâ exercitatione, liquorum & veneris abuſu &c. debilitato corpore, languent digeſtiones; ingeſtorum aſſimilatio in humorum naturam præpeditur, torpeſcunt ſecretiones, vitalis præcipuè liquidi; copiâ cruoris minutâ debilis adeſt cordis evacuatio; circulatio lenteſcit; œconomiæ animali tam perutilis turbatur ordo; miſerrimum ſpiritum trahit æger lucem amiſſurus inopinatò.

2°. A *graviori animi pathemate*, quo attonita detinetur anima aut ſtupida fit, ut in animi deliquio multiplici, mœrore, terrore ſubito, lætitiâ, indignatione, furore, irâ (2) &c. quibus anxietas, mentis perturbatio, cephalalgiæ, cardiogmus, agrypnia, febres excitantur: tunc temporis *ingens tremor occupat artus*, pallet facies, gravatur pulmo, longis reſpiratio ſuſpiriis interrumpitur, per corpus univerſum ſerpit frigus, levi calore ſubſecutum, nam, iſto non apparente, cor adeò reſtringintur, ut mors ſubitanea quandòque ſuperveniat: rei cujus exempla varia præbent populorum hiſtoriæ (3).

3°. Ab *abſorptione iſtiuſ-ve deſtructione* per venena, narcotica, mephitica, &c. &c. quæ vim ejus aufferre valent: enarrat *Wepferus* duos Hollandiæ incolas, voluptatis gratiâ, certaſſe utrum plures tabaci fiſtulas exugeret; ſed dùm unus ad ſeptimam-decimam, alter ad octavam-decimam aſſumpſiſſet, ambò, ſinè morâ, naturæ tributum ſolviſſe: ſic carbonum vapor, venenatus nidor ſtuporem & ſoporem apoplecticum incautis hominibus infert: ſic ſpiritus ſulphuris, nitri, ſalis marini, vitriolici, fuſio metallorum, &c., dum halitûs modo, unà cum aëre hauriuntur, mortem inducunt citam: teſtis ego quàm poſſit volatilis halitus; patris ergaſterio ſpiritûs ſalis ammoniaci volat. diſtillationem

---

(1) *Status pathologicus debilitatum exiſtimatur cauſa, rarò ſide rationis: eum tamen enucleare ſum auſus ut-potè obvium.*

(2) *Tradit Schola Salernitana ſect.* 1. Irâ concitatos in Apoplexiam incidiſſe repentèque animam expiraſſe: *non mirum: dùm enim irâ percellitur homo, rubet facies & tumet, oculi ſanguine ſuffunduntur; pulſus & fortior & frequentior evadit; augetur humorum celeritas; & validior versùs ſenſorium fit affluxus.*

(3) *Vide Tiſſot*, avis aux gens du monde, §. des paſſions.

nem prosequebar ; amicus, suâvem odorem putans, tubuluram aperit, dilatatisque naribus, validam inspirationem, in caute calentem attrahit spiritum ; verùm enim verò expergefactus, spatium binæ circiter aut tertiæ minutæ secundæ, dubius existentiâ mansit.

4°. A *denegato sanguinis ad cerebrum adventu* ; eò fine ut novi non secernentur spiritus : transitus autem ille præpeditus, vel naturæ sanguinis ad nimiam spissitudinem inflammatoriam, pituitosum - ve lentorem vergentis, vel concretionibus polyposis in carotidibus, aut vertebralibus, debetur ; quo impedimento sanguini cor ingressuro, vel ex corde expellendo, turbatur arteriarum actio, pulsuum rithmus, &c. quæ manifestari concretiones assolent, cordis palpitatione, pulsu inæquali, vertigine, scotomiâ, frequentioribus & ad auctum motum, calorem-ve increscentibus (*Boërrhav.*)

Suâ naturâ licet tenuitate multâ donati, *viscositatem* quamdam, nec-non *tenacitatem* adipisci queunt animales spiritus ; adeò ut impermeabiles tubi nervorum evadant : tùm, si, vi quâdam, per eos propellantur, necesse sistuntur ; undè stagnatio fit & obstructio ; quæ continuo liquidi affluxu adaucta, volumen in nervi substantiam comparat (1). Ab illâ spirituum tenacitate scatere *Apoplexiam* jamjam notaverunt Celeberrimus *Home* (2), Clarissimus *Lobb* (3) qui scriptis artem illuminârunt medendi : ast verò non solum viscositate spirituum denegatur tubi nervei permeabilitas, sed & etiam ab ipsius astrictione fibrarum : nervus enim, fibrâ medullari contextus, morbis fibrarum & fluidorum afficitur ; quamquam igitur, respectu aliarum partium habito, distendatur minimè ; nimiâ tamen distentione vel laxitate, quoad statum sanum laborare potest ; variis hæc nervorum morbis originem præbent, præsertim *apoplexiæ* idiopathicæ ut-ut videre liquet in tractatu morb. nerv. D. *Tissot* & D. *With.*

II. 1°. *Plethora* : major affluxus sanguinis etsi bonis dotibus instructi graves & adhuc producit effectus : sanguis ad cerebrum per

---

(1) M. *Chezelden* donne la description d'une tumeur à peu près de la grosseur d'un œuf de pigeon formée au centre du nerf cubital, un peu au-dessous du coude. The anatomy of the human. *Body* Lond. pl. 28. M. *Camper* donne des observations très-intéressantes sur les tumeurs des nerfs. Pathol. lib. 1. c. 2 § 5.

MM. *de Haën* & *Coopman* ont encore trouvé des tumeurs au nerf phrenique.

(2) *Home*, princip. med. p. 28.

(3) *Lobb* rational. method. of. curing fever, pag. 146. 147.

carotides & vertebrales delatus arterias, duplici modo ſomnum apoplecticum infert : *primò* ſi, nimiâ copiâ, cerebri fabrica medullaris, *ſecundò* ſi, vertebralibus diſtenſis, oblongata medulla prematur ; cum durum cranium cedere nequeat, impedietur motus ſpirituum per nervos quamvis bona ſecretio facta fuerit in cerebro, debitaque ſecreti à ſanguine arterioſo quantitas adſit.

2°. Deducuntur & eadem à *membranis* medullam oblongatam vel nervos ex illâ egreſſos inveſtientibus, ſi inflammatæ tumeant : à *ſanguine diffuſo*, ſeu ille ſanguis à ruptura vaſorum in cerebro, quæ cauſa potiſſima recenſetur à *Felix Plater* (1) ; ſeu à vulneribus, contuſionibus cerebri, &c. deveniat. *Tulpius* verba faciens de ſeptuagenario ebrio qui ex alto delapſus amplum vulnus in capite contraxit, aït ad ſe rediiſſe febris expers, & aliorum ſymptomatum immunis ; verùm quartâ die, exſcreatis priùs ſputis purulentis, periiſſe præter omnem ſpem ab inopinatâ *ſideratione* (2).

3°. Humor *pituitoſus*, ſeroſus, vel lymphaticus, in cerebro præternaturaliter contentus & in majori cumulatus copiâ, ſi adeò ſubſtantiam illius & ventriculos oppleat, ut, juxtà *Van-Swieten*, mole concidente, comprimat, nec-non principium nervorum in baſi calvariæ à cerebro prodiens anguſtet, ſpiritui animali tranſitum præcludit : deducendum indè non tam oriri *apoplexia*, quia ſpiritus deſint, quàm quià non poſſint in nervos defluere.

4°. Hiſce jungantur, *nativa corporis fabrica*, *caput magnum*, *collum breve*, *& ſæpè ſex modò vertebris extructum*, *corpus valdè craſſum & pingue*, *temperies plethorica*, *cacochymia pituitoſa* (3) : quæ, cauſas inter *apoplexiæ* proëgumenas à Celeberrimo enumerantur *Boërrhavio* : *otium* ad eam non minimè diſponit, quod apud lauctè victitantes ſuave vitioſorum humorum ſuſtentaculum eſt : ab *epilepſiâ* pariter ſcatet ; paroxiſmus *epilepticus*, in fine ſuo, ſomnum habet *apoplecticum*, ex collectione lymphæ, vel humoris cujuſdam, ni fallor, in encephalon ortum ; à quo evigilant hebetes & oblivioſi per plures etiam dies ; id eſt, donec effuſione reſorptâ, redeat integritas functionum encephali, quod niſi factum fuerit, manifeſtæ ſuperſunt earum-ce læſiones ; aſt inſultûs *epileptici* ſub finem morientes, ſæpè ſæpiùs *appoplectici* pereunt (4).

---

(1) Felix Plater *prax. med. lib.* 1. *c.* 2.

(2) *Obſervat. med. lib.* 1. *c.* 3. *p.* 6.

(3) Boërrhav. *Aphoriſm. in cognoſc. & curand. morb.* §. 1010.

(4) *Vidi egomet*, *in Noſocomio* (St. Eloy) *iſtius Urbis*, *epilepticum qui exacerbatione*, *ſpatii* 20 *circiter horarum*, *peractâ* ; *è medio ſublatus eſt lethali* ſideratione.

5°. *Aëris conſtitutionem* ad futuram *ſiderationem* diſponere neminem fugit : aër auſtrinus frigidus & uliginoſus ſanguinem fingendo (1) : temperies calida , quià liquidiores partes diſſipat , reliquæ ſpiſſeſcunt : in *apoplexiâ* epidemicè Italiam graſſanti, aër adeò exurens ut ſquallore , ſiccitate , conſumi cuncta viderentur (2): in pluvioſis temporibus & hyeme frequentiorem eam obſervavit *Hip.* (3). Tunc temporis minus benè in humorum naturam aſſimilantur ingeſta ; colligitur abundantia crudorum & materiæ perſpirabilis ; laboramus ideò duplici cruditate , ex alimentis non ſat ſubactis & materiâ excrementitiâ nondùm expulsâ ; undè facilis hujuſce ad cerebrum advenit plenitudinis affluxus.

6°. Idem *Humoris aſſueti fluxûs ſuppreſſio , retropulſio , &c. : materies podagrica* , in pedes jam detonare incipiens , (Sauvageſius , *de apoplexiâ arthriticâ.* Boërrhav. §. 1273.) ſi , incauto uſu narcoticorum , refrigerantium , aut conſtringentium , impediatur integrè deponi in hæc loca , ſummo cum periculo caput petit & lethalis *apoplexia* ſcaturigo , ni promptè , ſinapiſmis pedibus admotis , revocetur arthritis. *impetigines* , *pſora* , *herpetes* , &c. repulſa , ſoporem altum cum ſtertore , faciunt (4). In morbis *melancholicis* , ſi fiat decubitus humorum in cerebro , tunc producitur *attonitus* morbus ; ab *hemorrhagia* narium , menſium , lochiorum , hæmorrhoïdum , &c. ſi ſiſtatur ; idem ſcaturit morbus : docet *Lanciſi* quod nobiliſſimus ſexagenarius , cui hemorrhagia jam aliquot ab hinc horis efflueret , longioris impatiens moræ , pulverem naribus hauſit incognitum ; atque confeſtim , urentis excitato irritationis ſenſu , ſubſtitit animatiſmos , quem excepit illicò , confuſio capitis ſumma , oculorumque pruritus , tandem diſruptâ venâ baſim ad cerebri , poſt jactatos hùc illùc artus , forti proſtratus eſt *apoplexiâ* , quæ ſpatio 5. circiter horarum eum perdidit (5). In actis Londinenſis legitur quoque Illuſtriſſ. Dominam intrà ſemi-horam periiſſe ſiſtato ſanguine de naribus geſtiente (6). *Baglivius* & adhuc obſervat quod novos expectandi ſint inſultus qui ſemel illo comatoſo affectu , fuere correpti (7) : Celeberrimumque *Malpighi* quatuor horarum ſpatio peri-

---

(1) Holler. *lib.* 1. *de morb. intern. in ſchol.*
(2) Wepfer *obſervat. apoplect. p.* 669. 670.
(3) *Aphoriſm.* 16 & 23. §. *III.*
(4) Hoffman. *t. II.* 242.
(5) Lanciſi *de ſubitaneis morb. lib.* 1. *c. VIII.*
(6) *Act. Lond. n°.* 173. *pag.* 1068. Abridgem *tom.* 13. *p.* 29.
(7) Wepfer *quinquies apoplexiâ laborantem mulierem ſanaſſe refert obſerv. apop.* 23. *pag.* 499.

iſſe fertur, à *ſideratione*, leviorem ejuſdem inſultum morbi, cum *hemiplegiâ* dextri lateris, quatuor menſibus antea, paſſum.

Quæ præſentem *Apoplexiam* denuntiant ſigna vidimus; artuum nempè laxitas omnium; ſomnus profundiſſimus vix excitabilis; ſtertoroſa reſpiratio; *ſplendor oculorum ad ſui dimidiam partem apertorum* (1): quæ pulſantem oſtia ſignificant; nimia ſomnolentia, gravitas membrorum, in ſolitos uſus difficilis motus, ſpontaneæ laſſitudines; genarum rubor & pallor; labrorum ſaltus; locutio tremula; vertigo, ſcotomia; mox dictorum oblivio: ſed eveniente, fit convulſio univerſalis momentanea, debilitas genuum, eclyſis, corporis totius reſolutio, corruit miſer, immobilis omninò; cordis, arteriarum pulſus, initio quandoque vehementes, breviter langueſcunt; & ni ſubitò, ſinè morâ, ſuccuratur; vitale ſecatur filum: hæc, in *ſideratione* ſuſcepto: dantur ne tamen ſigna queis futura dignoſcatur? Ars ſalutifera tali-ne deſtituitur auxilio? Num *ſemeiotice* docet? Nimirum: morborum libros evolvite; quæ tradiderunt Clinici, Medicinæ cultores, *nocturnâ verſate manu, verſate diurnâ.*

Juvenes, pueros rarò affici, teſtantur Auctores; ſi verò afficiantur, quod notatu dignum, naturæ concedunt; homines præcipuè *ætate ab anno quadrageſimo uſquè ad ſexageſimum* (2); & multò magis quam mulieres: viri, ſanguineâ, ſenes autem pituitosâ, vulgò laborant, quoniàm in aliâ nullâ ætate tàm copioſus ſit pituitæ proventus quàm in ſenibus; timeant attonitis parentibus in lucem editi; timeant obæſi, otioſi, plethorici, melancholici: *torpores & ſtupores præter conſuetudinem evenientes*, ob animalis ſpiritûs paupertatem, vel denegatam libertatem quo viam affectat perveniendi, *futura denunciant apoplectica*; νάρκαι ἢ ἀναδήσαι γινόμεναι παρὰ τὸ ἔθος ἀποπληκτικῶν συμβησομένων σημεῖον. (3) notat & adhuc divus ſenex qui capitis doloribus, & aurium tinnitibus citrà febrem, aut tenebricoſa vertigine, vocis tarditate, manuumque ſtupore tentantur, *ſideratione* immineri (4).

Idem ſonant tremores, dentium ſtridor intrà ſomnum, cephalalgiæ, hemicraniæ, ſomnolentiæ; ingenii, memoriæ deperditio; vacillatio, titubatio linguæ; aſthenia, cibi faſtidium, anorexia; fluxûs cujuſdam aſſueti, hæmorrhoïdum, fonticuli &c. ſpontanea ſuppreſſio: potus nimius, liquorum abuſus, ſolitò profundior reſpiratio, &c. *nonnunquàm prælonga habet initia*; inquit *Aretæus*, de hoc morbo verba

(1) Nietzki *pathol. c.* 25. §. 625.
(2) Hip. *aphor.* 57. §. *VI.*
(3) *Coac.* 476.
(4) *Coac.* 164.

ferens; *gravitatem, motum difficilem, torporem, frigoris ſenſum* (1) : juxtà Clar. *Le Roy*, iſtius olim Lycæi Profeſſor Regius, *apoplexia* pertimeſcenda ſi quinquagenario, vel ſexagenario eveniat narium aimatiſmos (2).

Perſpectis quæ ad *diagnoſim* hujuſce morbi pertinent; ſcrutemur quæ ad *prognoſim* : qui de ipſo ſcripſerunt pervolventibus, nihil niſi triſte præſagiendum venit : ubiquè videmus omnem ſoporoſum affectum periculoſum eſſe, ſæpè lethalem, quod ſedem habeat in parte principe, vitæ ſervandæ neceſſariâ : jam monuit Medicinæ Pater, *apoplexiam fortem ſolvere impoſſibile, debilem verò non facilè* (3) : ſoſpes & incolumis rarò evadit æger & labe quâdam afficitur, uti loquelæ impedimento, paraphoniâ, oris diſtorſione, triſmo, diaſtrophe, ſalivæ ſtillicidio, paracuſi, aneſteſiâ, ſæpè ſæpiùs unius alteriuſve partis muſculoſæ paralyſi, quæ, ſi totius uniùs lateris HEMIPLEGIA, ſi partium cervici ſuppoſitarum PARAPLEXIA ſalutatur; curatu difficillima (*id per tranſennam*) memoriæ, judicii, motuumque læſiones derelinquens.

Aſt ut ſyntagma, congruenti modo, ducamus; paucis innuere juvat quæ de *prognoſi* dicenda veniunt; boni judicatur ominis ægritudo, cùm vellicatus ſentit æger, minimo ſtertore defatigatur, liquida deglutit, motus edit quoſdam : ab *Hippoc.* perutiles exarantur *Mariſcæ*; ἀποπλήκτικοῖσιν αἱμορροΐδες ἐπιγενόμεναι χρήτιμον (4) : in ſoporoſo affectu à pituitâ oriundo phrenitidem ſuccedere bonum, ſi *Riverio* fides, quoniam à calore retenſiore phrenitidem efficiente, materia *pituitoſa* concoquitur : ſpes ſalutis fulget, cùm præmiſſis præmittendis, urina multa, craſſa, ſupervenit; fluunt ſuppreſſa, liberior evadit reſpiratio, frequentior pulſus, non multum titubante linguâ, verba profert ægrotans, artus movet, &c.

Verùm enim verò quo major & profundior ſomnus, eò magis portendit vitæ periculum, res pariter eò pejùs ſe habent, quo magis impéditur reſpiratio (5) præcipuè ſi fiat intermittens (6). Vultûs adductio, ità ut longior videatur, mala : præcordiorum prominentia, pectoris ſtridor, ſuperiorum ſudores frigidi, mortem ſæpiſſimè denuntiant; oris ſpuma, peſſima, multùmque metuenda; peſſimæ lacrymæ; morbo

---

(1) Aretæus *de cauſ. & ſign. morb. diut. lib.* 1. *c.* 7.
(2) Prognoſtic dans les maladies aiguës. pag. 117, §. 554.
(3) *Aphoriſm.* 42. §. *II.*
(4) *Coac.* 478.
(5) Baglivi *prax. med. lib.* 1. §. *de apoplexiâ.*
(6) Æginetta *lib. III. c.* 18. *p.* 31.

chronicò tabidus, vel febre diuturnâ laborans, tunc temporis *Apilepſi* correptus, plerùmque moritur : juvenes & pueri difficilius viris ætate perfectis curantur ; mulieres majorem adeunt aleam ; in ſenibus ut-plurimum lethalis eſſe conſuevit ; cum enim propter caloris inopiam nativi, debilis ſit *concoctrix* & *expultrix* facultas, morbificam ſuperare, depellere materiem nequeunt : poſt ſanguinis miſſionem, & adhibita remedia, motu nec mente redeuntibus, nihil ſpei ſupereſt : injectus clyſter ſi unius intrà horæ ſpatium reddatur, bonum : ſi retineatur prorsùs, malum : indicat id, influxum ſpirituum in fibras inteſtinales à cerebro ferè impeditum eſſe (1) : *ex magnâ ſpirandi moleſtiâ, ſubortus ſudor* ἐφιδρωσις *mortem adfert* ; ultimus hîc quippè naturæ conatus & oppreſſio.

Aſt verò Medicorum antiſtitem audiamus : *qui valentes, capitis repentè doloribus corripiuntur, & protinùs muti fiunt & ſtertunt, intrà dies ſeptem intereunt, niſi febris eos prehenderit* (2) ; illà autem febris acuta & eſſentialis eſſe debet non autem levis & remiſſior ; præterea febris ſolutura morbum, aliâ conditione indiget, obſervante *Riverio*, ut nimirùm à principio morbi eveniat, dùm in ſuo robore natura conſiſtens, validos adhuc exercere poteſt conatus ; quæ, prægreſſo morbo, ſupervenit ſalutaris non eſt, utì jam delineavimus : *ſiderationes quæ repentè fiunt*, docet *Hip.*, *ſi inſuper febris, exolutionis in modum, contingat, quæ diutiùs trahat, perniciem minatur* (3), iſta prænotio allatum militare videtur aphoriſmum, qui mente perlegeret inattentâ ; cavendum ideò ne confundantur caſus : in primo, de forti ſuſceptis *apoplexiâ* verba facit artis ſaluberrimæ princeps, in ſecundo, *apoplexiis* in modum ſolutionis fientibus, quæ, inſpectâ reſpirationis facilitate, ſignis & aliis ſalutaribus annexis, ſtatim à principio ad ſalutem tendere videntur ; his, ſi pyrexia, prægreſſo tempore, ſuperveniat, *perniciem minatur* ; quià non ab humorum copioſorum agitatione, fervore ſimplici ; ſed ab eorumdem qualitate peccantium, & cerebrum laceſſentium putredine, oritur.

Qui naturâ ſunt valdè craſſi magis ſubitò moriuntur quam graciles (4) : ubì mera lympha in cerebri cavis delata, geminat *apoplexiam*, quædam tunc ſpes adeſt ; longè nam, *obſervante Van-Swietenio*, faciliùs reſorbebitur tenuior, à venis bibulis quam ſanguis, ipsâ effuſione, magis adhuc ſpiſſeſcens, & qui nunquàm integrè reſorberi poteſt per

(1) Baglivi, *loco citato.*
(2) Hip. *aphoriſm.* 51. §. *VI.*
(3) *Coac.* 480.
(4) Hip. *aph.* 44. §. *II.*

venas, niſi ab effusâ lymphâ, roris ſpecie, per vaſa exhalante, diluatur & attenuetur, ut à venis bibulis denuò reſorberi poſſit : undè à *Bernardo Huette* circà *Wepferi obſervat. apoplect. in annotationibus* (1); funeſtiſſima omnium habetur ſanguinea & difficilioris curationis quàm pituitoſa, quod partibus aqueis, vel avolantibus, vel diffluentibus (ut vult ille), dum aliæ partes à ſe invicem diſcedunt, ſanguis grumeſcit; qui grumi medicamentis diſſipari nequeunt : hâc enim abſque rarâ mutatione, periculoſiorem cum Clariſſ. *Sauvageſio* pituitoſam reor (2).

Datis autem ſymptomatibus queis cenſetur *ſiderationis* periculum, *ætate*, ſcilicet, *fabricâ ægri*, *ſudore tenui*, *guttatim hærente*, *frigidiuſculo* &c. leviora rimatur immortalis *Boërrhavius* & quo ſperandum ſit, doctâ & aſſuetâ præciſione, docet : *lenis apoplexia ſolvitur*, inquit iſtud oraculum, *ſuperveniente ſudore*, *multo*, *æquabili*, *rorido*, *calido*, *levante*; *urinâ multâ*, *craſsâ*; *hæmorrhoïdibus largis diù fluentibus*; *fluxu menſtruo reſtituto*, *alvi fluxu*, *febre magnâ* (3).

Hiſ-ce præmonitis therapeïam ſtatuamus : ex cauſſis deducitur : inter eas annumeravimus, 1°. Inopiam fluidi, nervoſæ compagis morbos. 2°. Plethoram & humores qui nervos premere valent. Hinc progreſſi quænam proficiant videamus.

Primo caſu, vitanda quæcumque fluidum eximunt, aut iſtius obſtant ſecretioni : in ſtatu pathologico, res ità ſe habeant, ut non frangantur vires, ac debilitetur corpus, regimine utatur æger blando, reſtauranti; gelatinis veſcat, panatellis, ovis, juribus carnium; &c. pro potu vino auſtero, quod firmius quaſi hærens retinet illud ſpirituoſum, magis durabili actione corpori applicat & ſimùl aſtringente vi, debiles fibras roborat : parcâ tamen exhibeatur doſi : dùm panis biſcoctus hocce vino madidus deglutitur, novam quaſi vitam flaccidis primis viis inſpirat; quæ methodus græcis non incognita; pani & vino virtutem & robur tribuit *Homerus* : ἐν οἴτῳ ἠ οἴνῳ τό γάρ μενος ἐστὶ ἠ ἀλκή (4). Martis uſus in levibus acidis ſoluti multùm proficit; quià non tantùm agit vi auſterâ, aſtringente, ſed ſui metallici ſulphuris, naturæ humanæ amici, miro ſtimulo, vires incitat vitæ; totam verò paginam adimplet cortex peruvian; lac : animi pathematibus ave dicendum eſt; ea corporis & animæ venena; pariter ſortiantur aleæ, nocent enim quam plurimùm ſubitaneæ timoris & ſpei vices; ſileat veneris ſuaviſſima voluptas; fugienda, exceſſus oris, intenſiſſima ſtudia, mephiticorum halitus,

(1) Wepfer *obſervat. apopl. pag.* 522.
(2) *Noſol. method. debilitatum claſſ. generum comatos. c. de apopl.*
(3) *Inſtit. med. de curand. & cognoſcend. morb. aphor.* 1017.
(4) Homer. *Iliad. lib. IX. pag.* 137.

narcotica, &c. in hygienis legibus quænam congruunt inveniemus.

Si ſanguinis in cerebro adventu obſtent ſpiſſitas illiûs, concretiones polypoſæ, tunc aquoſis, diluentibus, fluiditatem conſequendum, ſolvendum concreta; quæ poſtrema rariſſimè obtinetur ſolutio diluentia tamen & catharſes, non minimæ queunt utilitatis eſſe. Cùm à plethorâ, vaſorum inflammatione, cujuſdam-ve humoris diffuſione provenit, ad anti-phlogiſtica, derivantia confugiendum; ſed attendat Medicus ad cœli conſtitutionem, *Apilepſis* diatheſi regnante, ſæpè ſæpiùs inquinatur.

SANGUINEÆ THERAPEIA.

Apoplecticum propè delatus, diagnoſim eruat, haudque dubiis notitiis, à pituitoſâ ſanguineam diſtinguat Medicus; ex iſtius enim diſtinctionis lumine, remediorum admiſſio, efficacia, nec-non ſalus ægrotantis pendet: idcircò cum in pari ſubito caſu, noſtræ confuſio mentis pronum faciat iter ad errorem, cavendum ne ad hujuſmodi, quod tantoperè laudatum apud aliquos & expeditum eſt remedium inconſultò deſcendamus; ſanare cupientes, ex tempore jugularemus ægrum: in ſanguinea ideò ſuborta miniſtrentur.

Phlebotomia: meritò notat *Celſus* ſanguinis miſſione vel occidi, vel liberari *percuſſos*; quoniam ſanguineæ ſalus, ſemper fermè piaculum in pituitoſis adhibita: pro diverſitate ſubjecti, ætatis, temperamenti, ſtatûs morbi, caloris, pulsûs duritiei, inflammationis, tempeſtatis anni, &c. ſe gerat *Æſculapii* Diſcipulus: perpenſis quibus, apparebit quænam ſanguinis mittenda ſit quantitas. Statim ac ſinè morâ, ſivè noctu, ſivè interdiù quiſpiam afficiatur, inſtituatur phlebotomia, & quidem antè clyſterem ſi quamprimùm injectus non fuerit; ſed quânam in parte fieri debet? Derivationis, revulſionis, evacuationiſ-ve titulo? Conducit triplex methodus: evacuativa tamen palmam præſtare videtur; nam *apoplecticus* ni citò ſuccurratur, citò ſuffocatus obit, non ſecùs ac laqueo ſuſpenſus; ſecentur venæ brachii, jugulareſ-ve; foramine fiat ampliori vulnus, aliàs enim craſſior ſtatim ſubſiſteret ſanguis: non unà vice mittendum quantum ſit opus, ſed per vices, quolibet bihorio priùs tardiùſ-ve prout ſymptomatum validitas expetit: iteratâ miſſione, faciliùs movetur materia, nec vires dejiciuntur: hùc quàm generale nimis & inutile ſit *Capivacci* monitum elucet; qui ſtrictè vult, ſpatio duodecim horarum, in paroxiſmis *apoplecticis* tres venas aperiendas: primam, mediam in brachio; alteram, remotam in pede; tertiam, propiorem in fronte vel naribus (1).

(1) Capivacc. *prax. med. lib.* 1. *c.* 17.

Cucurbitulæ

Cucurbitulæ: dorſo, ſcapulis, brachiis, femoribus; non autem poſteriori thoracis parte aut hypochondriis, applicentur; ne, contractis pectoris & abdominalibus muſculis, magis præpediatur reſpiratio: occipiti poſitæ ſummum & unicum habentur remedium: inſignem Medicum *fracaſtorium*, *apoplexiâ* ſuſceptum, hoc medicaminis genus, nutibus ſuis, indicaſſe; ſed non intellectum periiſſe, fertur: deſperatam *ſiderationem* cucurbitulâ bis occipiti admotâ, cum profundis ſcarificationibus ſanavit *Zacutus Luſitanus*: nihil mirum ſi cucurbitularum effectus perſcrutemur; arterioſum & venoſum ſyſtema, textumque cellularem comprehendunt; his ergò mutantur ſolidorum & fluidorum motus.

Juxtà podicem appoſitæ *hirudines*, nullomodò fluentibus *Mariſcis*, præſertim à ſuppreſſis genitâ *ſideratione*, quos mirabiles præſtant ſucceſſus enarrat *Heiſterus* (1).

In iſtâ maximè nocent *emetica*, niſi vino, alimentiſ-ve ingurgitetur æger; motum æſtuantis ſanguinis, tonumque ſolidorum, acribus particulis, adaugere; ſpaſmum univerſalem efficere; maximam humorum caput versùs determinare copiam, undè magis urgentur cerebri vaſa &c. talem ſcopum adimplent ſtibiatica; atqui cum in ſanguineâ ferè ſemper adſit plethorica diſpoſitio, foras amandentur.

Rejicienda quoque *veſicantia*, quæ acri ſtimulo eoſdem penè ac *emetica* producunt effectus; laudant tamen clinici; ſed quonam tempore laudant? quandò præmiſſis evacuationibus, præmiſsâ ſanguinis miſſione, prædominium tenere videtur ferositas, gravantur vires, coctionis ſigna non prodeunt: tunc temporis veſicantium & rubificantium uſu, motus exaltatur humorum, & ad coctionem proclives vergunt.

Maximi momenti ſunt *temperantia*, *revulſiva*, *diluentia*, balnea pedum, extremitatum ligaturæ, &c. quorum ope minuitur inflammatio, ad cor impeditur ſanguinis reditus, indè minima copia cerebrum petit.

Succuſſio, *agitatio* corporis, obnoxia in ſanando inſultu *Apoplectico*, ſivè ſanguineo, ſivè pituitoſo; cùm magis ab iis commoveantur humores; enarrat *Foreſtus* (2), hoc in ſene *Bokelio* neglecto monitu, miſellum ægrotantem imprudentiam Medici morte luiſſe: Clar. *Nymannus*, cuidam meminit, intempeſtivâ tali agitatione, mortem ſubitaneam acceleratam: millia referunt exempla qui de hoc morbo tractârunt: væ vobis igitur ſuccutientibus medicaſtris, qui, dùm reducere ſalutem, pernicioſo more, ſomnumque diſcutere putatis, jugulatis ægros, citiſſimum patrantes vitæ terminum.

---

(1) Heiſter. *Chirurg. tom.* 2. *pag.* 353.
(2) Foreſt. *Obſerv. lib.* 10. *obſerv.* 70.

Paucis à venæ-ſectione horis, neglectâ temporum electione propinetur *catharſis* : eccoprotica præprimis uſurpanda , & cuncta quæ minus calefaciunt : unà vice ſequens exhauriatur potio : in decocto tamarind. ping. unc. 1. folliculor. ſenn. drag. 2. infunde mannæ calabr. unc. 2. ſal prunell. ſeu nitri dragm. 1. adde colaturæ ſirup. chicor. comp. cum rheo, vel pulpæ caſſiæ unc. 1. f. p. levi juſculo, primâ evacuatione adjuvanda , interdùm repetito : hæc tamen modificationis indiget ſi percuſſus juvenis nimiùm , ſenex-ve ſit aut temperamento debili donatus : iſta pariter applicetur modificatio , circà pituitoſæ remedia.

Iterentur allata , ſcilicet phlebotomia , ſi durus , velox & magnus ſuperſit pulſus : cucurbitulæ , veſicantia , temperantia, cathartica , &c. ex intenſitate ſymptomatum ; mirùm verò ſæpè quam benè ſe res habeant : his ſemel biſ-ve adhibitis , breviter ingraveſcere morbus deſinit , parùm difficilis fit reſpiratio , loquela ; diſpellitur debilitas ; reſolvitur proſtratio ; ſenſim & ſinè ſenſu reſtituuntur vires , reſipiſcit æger , nec multis indiget remediis : hygienis normæ docilis eveniat ; ſalus omnis ab hinc eſt ſperanda.

PITUITOSÆ CURATIO.

Sideratione pituitosâ correptus , ſomno , proſtratione virium , artuum impotentiâ , corporis debilitate , ſtertore , non ſecus ac qui ſanguineâ , ſuſcipitur : ſubitò dormientem evigilet naturæ miniſter , oppreſſas vires ſtimulet , debilitatem eruat ; naribus admoveantur *acria*, *ſternutatoria* , *errhina*, euphorbia ſcilicet , helleborus , aſarum , nerii oleandris folia &c. ritè pulverata : *volatilia*, ſpiritus volat. corn. c. , viperarum , ſalis ammoniaci , aqua (Ste. Luce) dicta ; aut eorum defectu acetum acerrimum , aqua vitæ , ſpiritus vini , &c. *ſuffumigium* valet etiam ex ſuccino , caſtoreo , aſſafœtidâ , quorum fumus per infundibulum naribus accipitur ; evellantur pili , acu digiti pungantur ; tandem uſitentur omnia quibus ſuccutiuntur fibrillæ nerveæ : *ſuppoſitoriis* acribus alvus proritetur : utiliſſimum autem *clyſma* hyeræ-pieræ diſſolutione compoſitum ; aut nicotianæ decocto , cyclaminis , hellebori ãã dragm. 1. ſalis marini drag. 2 in aquæ com. ſ. q. : ſed citiſſimè paratur cum emetico vino turbido unc. 2. in aquæ communis unc. 10. injiciatur ſtatim exiguâ quantitate , ut & retineri & diutiùs in inteſtinis manere poſſit ; dùm quantitas excedit iterum effluit ; notandum, *per tranſennam* , quod ſi minori copiâ injiciatur & tamen effluat ; malum : docet enim totalem partium reſolutionem ; undè mors oſtia pulſat. Jubet *Riverius* , ut , ex inſultu , radiis ſolaribus , aut luci ſplendidæ apponatur æger , & aures clamoribus , ſtrepitu , ſonitu concutiantur ; quæ licet appareant primâ fronte vana , cujuſdam forsàn non ſunt deſtituta commodi , *Celſique* ſententiam

fulciunt : *in præcipiti periculo multa rectè fieri , quæ alias essent omitenda.*

Nunc deferenda *sanguinis missio* ; ahibita jugularet *attonitum* : instar toxici , *Lancisi* loquente , solet esse phlebotomi lanceola ; convenit tamen si magna intemperies pituitosa , non satis citò corrigenda sit absque venæ-sectione : ille verò casus difficilis cognitu , maximi momenti , maximæ quidem utilitatis ; antè-hàc usum consideretur regimen , tempestas , cœli constitutio peculiaris nec-non pedum venæ , nam, si magnæ sint , ibi phlebotomiam instituere melius est , quod ibi sanguis non valdè purus , sed magis existit crassus.

Ferrum ignitum : cauterium actuale jubeat Medicus, ut inflammatio, febris , dein suppuratio , fluxus humorum stabiliatur : illius applicatu sinè dubio excitabitur æger; & separatâ escharrâ, manebit locus ulcerosus diù liquidum plorans : cauterium ignitum gnaviter irritando nervorum fines , maximum in iis tremorem & subtilissimarum partium excursum per eorumdem filamenta (observante *Lancisi*) , potest inducere ; qui excursus ad usque principium propagatus , fortiter excutit quidquid in cerebro , nervorum ostiolis pertinaciter hæret ; ac per talem duntaxat validam succussionem , ignearumque particularum penetrationem, amovere valet: occipiti plerumque movetur ; sed notabiles successus præstat suris , musculis putà gastrocnemiis , soleo : mira revulsio perutiles usquè concedit effectus.

Prosunt *topica* ex aromaticis & cephalicis herbis cucupharum applicata modo : talia rosmarinus , salvia , mentha , origanum , thymus , lavandula , hyssopus , ruta , &c. quæ languidum , aromatico stimulo motum incitant : *frictiones* extremorum siccæ , calidæ , præcipuè capiti, scilicet ut nervorum aperiantur pori locoque moveatur peccans materies : stagnationes enim resolvunt , viscositatem attenuunt humorum , & vim visceribus inferunt ; pollent ideò quoties spissitas adest & effusio, quoties actio solidorum deficit & fluidorum ; post paroxismum instituí solent , nihil tamen vetat ut adhibeantur ex insultu, cum lentor humorum morbi causa potissima.

Quàm perutilia sint *evacuantia* docent clinicorum observationes : ad evellendum humorem lentum pituitosum vehemens requiritur commotio : peracto itaque stimulantium , acrium , volatilium , &c. haliru ; quæ liquorum tenacitatem & viscidum dividendo , atterendo , comminuendo, solidorum motus augent , sanguinem exagitant , diaphoresim provocant. Propinentur , sub primis morbi temporibus , emetica ex antimonio parata ; nempè tartarus stibiaticus , sed cathartico permixtus ; nam tunc per superiora & inferiora fortiter tantæ pituitæ, humorisque serosi quantitas educitur , ut , hâc evacuatione , interdùm liberentur *percussi* : tutius quidem est emetico catharticum maritare , quià solus eme-

ticus nimiâ præſertim exhibitus doſi, ſuccuſſionibus validis, vomiturationis comitibus, maximum humoris cerebrum verſus determinaret affluxum: prætereà quantùm noceant temperamentis irritabilitate nimiâ præditis, in praxeos medicæ libris habemus: ſubſcripto igitur utatur potu: in aquæ tepidæ lib. 1. affunde mannæ calabr. unc. iij. diſſolve colaturæ tartar. ſtibiat. Celeb. *Macker* modo pp. gr. VI. ſcamon. ſcrup. 1. reſin. jalap. gr. X. fiat potio tribus vicibus exhibitura; notandum quod ſi primo, ſecundo-ve cyatho, tanta humorum evacuetur copia, ut debilitetur ægrotans, non abſque periculo reliquum propinaretur: eo modo virtus acris, cauſtica, ut ita dicam, ſtibii, mannâ obtunditur; pituitoſus humor hydragogis attractus eliminatur foras.

Non levem opem ferunt; evacuanti adhibito, *quæ benignè diſcutiunt, miteſque refocillant ſpiritus*: talia confectiones alkermes, de hyacintho; elixir vulgò de garrus; vini generoſi potus tenuis, &c. decocta ſudorifera, diaphoretica, &c.: ſequens hodierno pro potu congruit decoctum. ℞. radic ſalſap unc. 1. lign. gayac. unc. 2. cortic tamariſci, ipſiuſ-ve defectu fraxini unc. 1. baccar juniper. drachm. IV. in vini albi lib. IV. per infuſionem calidam; in colaturâ ſolve oximel ſcillit unc. ij. quod decoctum non modo diaphoreticum, ſed & adhuc ſtomachicum, aperitivum, per urinas & ſudores à re morbificâ liberat: cavendum tamen ne inconſideratò ad ſanguineam devehatur, efficax in pituitosâ remedium: frequentior primâ; undè meritò *Proſper Martianus* qui ad therapeïam *ſiderationis* cujuſdam calefacientibus utuntur; illius cauſam aut ſaltem pro majori parte in pituitam frigidam & humidam referentes, vehementer arguit: *ſi morbus*, aït ille, *præbet inducias ad vulgata ſua decocta, ex gayaco, ſaſſaffras, &c tanquam ad columnas herculis confugiunt; cum animadvertere debeant ex apoplexiæ ſpeciebus unicam tantùm & rarò contingentem in frigidos ſuccos*, Hippocratis *conſilio, referendam eſſe* (1).

Maſticatoria, ſialagoga, apophlegmatica, in ore detineantur, quæ muci copiam eliciant: totam paginam adimplent radices pyrethri, zedoariæ, zinziberis, cochleariæ armoraciæ, &c. folia menthæ piperitæ, tanaceti, &c.: ſemina ſinapi, ſtaphis-agriæ, umbelliferorum: piper, cariophill. macis, cinnamomum, &c.

Dropaciſmi, phenigmi, cucurbitulæ ſcarificatæ, veſicatoria, &c. cuncta ſtimulum ineſſe, motum adaugere, nec non humorem quemcumque, per plures dies continuos, evacuare valentia; quæ ſecerniculum excitant liquido præternaturali expurgando idoneum: uſurpantur muſcæ

(1) Hip. *text.* 2. *de morb.* §. 64.

cantharides, fermento panis, plantis pedum ; aut emplaſtro epiſpaſtico permixtæ, artubus, ſuris, occipiti : efficaſſicimæ contingunt, additâ euphorbiâ, ſcapulis & nuchæ appoſitæ : ſed deficientibus ex regno vegetabili cum ſucceſſu, radices inter, hellebori ſpecies habemus ; aſarum europeum, fraxinum ornum : inter folia ; ranunculus adeſt aquaticus, clematis vitalba, perſicaria hydropiper : ſemina ; ſinapi, cannabis : cortices ; daphnè gnidium, &c. cantharidis quoque ſubſtituuntur formicæ, urtica marina, cūjus cauſticitas candens ferrum adæquat ; cuncta tandem animantia exſanguia.

Veſicantibus anſam dant *ſetacea*, quæ materiem morbificam per ſuppurationem amandant ; & incredibiles effectus habent perſæpè : ennarrat D. *Lamothe*, *in tractatu Chirurgico*, ſe, in vanum tentatis veſicatoriis & fonticulis, ſanaſſe, ſetaceo, ſtuporem *Apoplexiæ* reſiduum ſi morbus ad declinationem tranſlatus, ſomnuſque profundus jam diſcuſſus fuerit, cerebri roboratione tunc incumbendum ; refocillandæ vires, &c. id ſatis commodè fiet, opiatæ cujuſdam cephalicæ, ingeſtorum roborantium, alexipharmacorum, uſu quotidiano ; rarò ſed evadunt abſquè partis alicujus reſolutione ; paralyſi, nimirùm hemiplegiâ ; inungatur ſubitò pars affecta linimento ex oleo camæmel, unc. ij. alkali volat. drag. iij. cæterum adhibeantur quæ paralyſeos genus & ſpecies indicant.

Hæc ſunt, VIRI PATRES ACADEMICI, quæ dicenda de *ſideratione* magis neceſſaria viſa mihi ſunt : felix nimium ! ſi has in Arte Medicâ primitias paterno conſpectu, videatis ; ſi ſuffragia promereri valeat qui doctrinâ veſtrum fretus, morbos ardet elidere, ſanitatem tueri civibus, & fugientem quaſi ſiſtere vitam.

Hoc opus ; hoc ſtudium ; parvi properemus & ampli,
Si Patriæ volumus, ſi nobis vivere cari.

FINIS.

ARGUMENTABUNTUR

N. N. D. D. PROFESSORES REGII.

N. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Judex.*

N. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*

N. D. GASPAR-JOANNES-RENE', *Pro-Decanus.*

N. D. ANTONIUS GOUAN.

N. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

N. D. FRANCISCUS VIGAROUS.

N. D. JOANNES SABATIER.

N. D. JOANNES-CAROLUS DE GRIMAUD.

N. D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN, N. D. DE LAMURE, *Decani Coadjutor.*